



Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXXVIII. De bono regimine in externis, & recursu ad Deum in
periculis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45780)

timor, & inordinatus amor morietur.

C A P U T X X X V I I I .

*De bono regimine in externis, & re-
cursu ad Deum in periculis.*

I. **F**ili, ad istud diligenter tendere debes: ut in omni loco & actione, seu occupatione externa, sis intus liber, & tui ipsius potens, & sint omnia sub te, & tu non sub eis.

Ut sis dominus actionum tuarum & rector, non servus, nec emptitius:

Sed magis exemptus, verusque Hæbreus in sortem, ac libertatem transiens filiorum Dei.

Qui stant super præsentia, & speculantur æterna.

Qui transitoria sinistro intuentur oculo, & dextro cœlestia.

Quos temporalia non trahunt ad inhærendum, sed trahunt ipsi magis ea ad bene scrviendum: prout ordinata sunt a Deo, & instituta a summo

O

mo

mo opifice, qui nil inordinatum in
fua reliquit creatura.

2. Si etiam in omni eventu has
non in apparentia externa, nec occu-
lo carnali lustras visa vel audita;
sed mox in qualibet causa intras cum
Moyse in tabernaculum ad conser-
tendum Dominum: audies nonnun-
quam divinum responsum, & redies
instructus de multis præsentibus &
futuris.

Semper enim Moyses recursum ha-
buit ad tabernaculum pro dubiis, &
quæstionibus solvendis; fugitque ad
orationis adjutorium pro periculis,
& improbitatibus hominum suble-
vandis.

Sic & tu confugere debes in cor-
dis tui secretarium, divinum inten-
tius implorando suffragium.

Propter ea namque Josue & filii
Israël a Gabaonitis leguntur decepi-
ti: quia os Domini prius non inter-
rogaverunt, sed nimium creduli dul-
cibus

cibus sermonibus falsa pietate delufi
sunt.

C A P U T XXXIX.

*Quod homo non sit importunus in
negotiis.*

I. Fili, committe mihi semper cau-
sam tuam, ego bene disponam
in tempore suo.

Exspecta ordinationem meam, &
senties inde profectum.

Domine satis, libenter tibi omnes
res committo: quia parum potest co-
gitatio mea proficere.

Utinam non multum adhærerem
futuris eventibus, sed ad beneplaci-
tum tuum incunctanter me offer-
rem!

2. Fili mi, saepe homo rem aliqua
vehementer agitat, quam desiderat:
sed cum ad eam pervenerit, aliter
sentire incipit: quia affectiones cir-
ca idem non sunt durabiles; sed ma-
gis de uno ad aliud impellunt.

O 2

Non

ne omni-
o.
opropin-
terreno

Deum

s in se
lescit.

boni at-
venire

s sancti

ihilare,

evacua-

magna

turas,

coris.

Crea-
am va-

sit, si

ir, re-

GA-